

primi, tum notæ melioris gratia, tum necessariò, melioris ratione inquam, quod ci-
tò hebetescit quod acutum est. Itaque alteros succedere in officium oportet. lati au-
tem non hebetantur: sed tempore duntaxat attriti leuigantur, necessariò uero de-
cidunt, quod maxillarium radices in lata nítuntur maxilla, & ualido osse continen-
tur: primorum autem in tenui. unde fit, ut infirmi & mobiles sint, nascuntur autem
denuò, quod in osse adhuc nascēte oriuntur, & cum tempus adhuc est ad dentium
generationem idoneum. cuius rei indicium est, quod maxillares diu oriuntur. Vlti-
mi enim uicesimo anno exeunt, nōnullis etiam senescentibus omnino prodierunt,
qui loco ultimo habentur: quoniam multum alimenti in amplitudine ossis contine-
tur. At uero prior pars ossis præ sua tenuitate citò perficitur, nec excrementum in
eo fit, sed in debitum incrementum absimitur alimentum. Democritus uero missa
ratione, cuius causa agatur, omnia referēda censet ad ea quibus natura utitur. quæ
talia quidem sunt, sed alicuius causa, & notæ melioris gratia sumuntur. Itaque nihil
prohibet, quo minus ita dentes fiant, & decidunt: sed non propterea, sed propter si-
nem. hæc autem ipsa causæ sunt, ut mouentia, & instrumenta, & materia. Nam &
spiritu magna ex parte agere consentaneum, ut instrumento est. ut enim nonnulla
artium instrumenta utilia sunt ad plura, uerbi gratia in excusoria malleus, & in-
cus: sic in rebus à natura institutis spiritus uarium exhibit usum. simile dici uidetur,
cum causas necessariò esse dicunt: ut, si quis propter cultellum tātummodo aquam
exisse ijs qui intercute laborat, non etiam propter sanitatem, cuius causa secuit cul-
tellus, existimet. Sed de dentibus cur partim decidunt, ac denuò nascantur, partim
non: & omnino quam ob causam fiant, dictum est, dixi etiam de cæteris mēbrorum
affectibus, qui non alicuius causa, sed necessariò ueniant, & quam ob causam, ui-
delicet eam cui motum tribuimus.

LIBRORVM DE GENERAT. ANIMAL. FINIS.



30 ARISTOTELIS
DE COMMUNI ANIMALIVM GRESSV, LIBER,
INTERP. PETRO ALCYONIO.



40 E PARTIBVS quæ usui animalibus sunt ad mo-
tionem per locum ciendam differendum, cur quæque
talis habeatur, & cuius rei causa ijsdem ipsis affixa sit.
De differentijs item habebitur oratio, quæ explicitur
inter partes unius eiusdemq; animalis, & inter partes
cæterorum animalium, quæ specie inter se differant.
Sed initio ea proponamus de quibus uerba facienda
sint. Primum igitur eorum est, quot minimum signis
animalia sese moueant: mox quam ob causam sangu-
ne prædicta quaternis, illo uacua pluribus agatur signis.
& generatim, cur alia nullis fulciantur pedibus, alia bipeda, alia quadrupeda, alia
etiam multipeda sint, & quam ob rem omnia paribus subnitantur pedibus. de ijs lo-

loquor quæ pedibus instent, & omnino quibus moueantur signis, ut paribus instruuntur pedibus. Iam uero quid causæ sit, quare homo, & aues bipedes, pisces pedibus nudati formetur, atq; etiam homo, & aues, quanquam bipedi habitu singulatur, tamen flexus cruribus aduersos agant. Siquidem homo in ambitum crus inflectit, aues in cauum. Idem etiā homo sibi ipsi tum crura, tum brachia cōtraria detorquet, nam brachia in cauum, genua in ambitum cōtrahit. item quadrupeda, eademq; uiuipara contrā quām homo faciat, crura inflectunt, atq; etiam illa cōtrarium sibi ipsi nauant motum, genua enim in ambitus conuexa, suffragines in caua adducunt. Præterea de quadrupedum genere, quæ non utero à uiuiparis adiuntur, sed quæ ouo excluduntur, crurum inflexus præcipue obliquat, & in latus detorquent. Item quam ob causam omnibus quadrupedibus motus per transuersum cieatur. Causæ igitur horum omnium, & cæterorū, quæ naturam cum his ipsis cognatā habeant, exponendæ sunt. Hæc uero sic fieri solere, quamvis in cōmentarijs qui naturam animalium complectuntur, testatum reliquimus, tamen nunc differendum est, cur ita de illis statuatur. Ac disputatio quidem hæc, ab eo initio repetenda uidetur, quod ad res naturæ, uia, & ratione demonstrandas usurpare cōsueuimus. atq; interim proponemus quæ hoc se habent modo in omnibus naturæ operibus, illorum autem unum est, naturam nihil frustra moliri: imò semper id machinari, & efficere, quod optimum sit de ijs, quæ pertinere possint ad statum cuiuscq; generis animalium. & res* quidem se habent per naturam ob potiorē rationem, quam ipsa natura eximiā fecerit. Iam uero quātæ, & quales magnitudinis dimensiones, & quibus attribuantur, proponere cōuenit. Hæc quidem sex enumerantur, sed tria paria conficiuntur, unum quod summum, & infimum: alterum quod ante, & ponē: tertium quod dextrum, & sinistrum contineat. Præterea initia motionū, quæ per locum obeuntur, esse tum pulsum, tum tractum. itaq; hi per se aguntur, ex accidenti autem id quod agitatur, ab alio mouetur, nam idem ab eodem moueri non uidetur. imò id quod ab aliquo agitatur, pulsu agitatur externo. His præscriptis ac explicatis, trademus quæ proxima habeātur. Animalium igitur, quæ per locum se mouent, alia in summa toto corpore id præstant, ut prosilientia: alia per partes, ut ingredientia omnia. Sed in utroq; motionis genere ipsum mobile, re, quam subditam habet, se sustentans semper mutatur. Quapropter si eiusmodi res celerius subtrahatur, quām id, quod in eo se moturum est incubare, innitiq; possit, aut si nullus omnino cōtrarius detur conatus, profectio nihil in eodē seipsum mouere poterit. Nam id, quod prolilit, cum superiore parte in seipsum innitatur, & in pedum stratum inhæreat, saltum agit. & eo quidem magis, quod partes mutuum in flexuris renisum habent. aique
 τενταθλοι, omnino tale est id, quod comprimit, præ eo, quod comprimitur. Quinqueriones id est quinquer igitur halteribus utraque manu comprehensis maiorem & concitatorem saltum tiones. quid au- adiunt, quām non cōprehensis. & qui currunt obiquatiendis manibus celerius curtem sit pentas runt, quoniam in ea diuariatione, & explicatione tum in manus, tum in brachialia thlū, uide apud innititur. At uero id, quod motu exercetur, semper ex diuarum ad minimum par- Festum Pomp. tium usū, quæ instrumētariæ sint, mouetur, ut quasi altera comprimat, altera cōpri Halteribus, matur, nam id, quod quiescit, cōprimitur, quia pondus sustinet, cum id, quod effertur, unā cum eo, quod sustinet pōdus, prorsum impellatur. & ob eam rem quæ in saltatorijs, ut strumentarijs partibus carent, ad hunc modū sese mouere non queunt, propterea habet antiquus quod distincta partium agentiū & patibulum descriptione uacant. Sed cum sex dimensions cōstituantur, quibus animalia suapte natura distingui possint, summum & infimum, antē & ponē, dextrum & sinistrum, pars summa & infima omnibus, quæ uitam adipiscuntur, tribuitur. quandoquidē non solum animalia, uerum etiā stirpes in utrancq; excurrunt, quāquam non solum munere, sed plane etiam positione, & situ

situ inter se differat, si ad tellurem, & coelum respectum habeas. Summa enim pars omnibus uita praeditis est, per quam cibus recipitur, & accessio adiungitur. infima autem, ad quam postremo accedit, ac partim initium quoddam, partim exitus patet, summa tamen pars initium est. At qui pars infima potius, ac nobilissimum initium in stirpibus uideri poterit, præsertim cum non eodem situ partes summæ, & infimæ in illis quo in animalibus disponantur. Sed quāquam similitudine uniuersi idem minime respōdeat, munere tamē quo funguntur, idem omnino respōdet, radices enim stirpibus pro summa parte sunt, cum succus ījs, quæ ē terra oriuntur, inde disp̄setur, & illum ipsum radicibus perinde trahant, ut animalia ipsius oris hiatu. Itaq; antē & 10 ponē non modo adscribitur ījs, quæ uiuunt, uerum etiā ījs, quæ animalia sunt, quādo hæc omnia sensu uigere intelligūtur, & illius opera antē à ponē disiungitur, propterē quod unde origo sensus ducitur, & quō dimanat, hæc ipsa ut priora, opposita ut posteriora signātur. Sed animatibus ījs, quæ nō modo sensus participes sunt, sed per locū etiam per seipſas moueri queunt, dextrum & sinistrum ita assignatur, ut paulo ante diximus, hoc est utrumq; disclusum, ac munere descriptū, quod obituræ sunt, non situ. itaq; dextrum cuiq; est, unde primordia motus per locum natura ipsi corpori trahantur, sinistrum, quod oppositū est, & ad illud consequendū suapte natura prop̄sum est: etiamsi hoc ipsum de animalibus alia distinctius, quām alia incident, nam ratio dextri, & sinistri proposita magis declaratur in ījs, quæ instrumētales obtinētae partes, ut alas, ut pedes, & alia id genus instrumēta, per locum sese agitant, quæ etiā non his partibus, sed suo ipsorū corpore intercedentes indicātia progressiuntur: ut de pedum expertibus nōnulla, quales serpentes, erucæ, & præterea quæ terræ intestina appellant, id quod de dextro, & sinistro scriptū reliquimus, sibi evenire demonstrant. quanquā res non ita nota pateat & illustris. Motionis item originem trahi à dextra parte argumēto sunt omnes, qui sinistra solent onera baiulare, ita enim gerulus soluto motore ac distīcto facile moueri potest. Quapropter sinistra se sustinentes facilis unctos supersiliunt utres, quandoquidē dextra mouere, sinistra moueri apta est. ob eamq; rem onera non parti mouenti, sed mobili imponi debent. Quod si mouēti, & loco ei imponātur, unde motus proficiscitur, impulsus 20 uel nullus omnino, uel difficilior agetur, & grauior. Pedum etiā proiectiones in cursu indicio sunt motus initia à dextra duci parte. siquidē omnes sinistram projiciunt, atq; stantes, & in sublime erecti eandem magis proiecisse uidētur, nisi fortuitō aliter cōtigerit, nec enim parte porrecta, sed cōtracta motus ille nauatur. Dextra etiā defensio fit, ac propterē dextræ partes omnibus eadē afformātur, unde enim primū oritur motus, idem uniuersis est, atq; etiam secundū naturam in eodem loco situm, positionemq; obtinet suam. Dextrum autē est, unde primū motus emanat, quam ob rem turbinata ē genere eorum, quæ ad saxa natuvis testis adhærescant, omni ex parte dextra sunt, in anfractum enim, aut clauiculam non uoluuntur, sed in aduersum progrediuntur omnia, ut purpuræ, ut buccinæ. itaq; cum omnia à dextris moveantur, & illa in seipſa globo circumagantur, dextræ omnes partes æque descriptas habeāt necesse est. At homines præter cætera animalia sinistrā distinctam obtinent, & agilem, quoniā maxime omnium ipsi secundū naturam singantur. Dextra autem pars & abiuncta potior est sinistra. idcirco dextræ partes in hominibus maxime tales sunt, quæ quidē cum disiunctæ sint, ratione optima leuæ rigidusculæ subeunt, & ab īisdem ipsis abiunctæ maxime pendent. Reliqua etiam initia per naturā descripta, & abiuncta in hominibus potissimum disponuntur. summam dico, & priorē partem, sed in quibus summa pars à priore distrahitur, ut in hominibus & auibus, hæc bipeda formātur. Ad bina autem de quaternis reddēda signa, alteris alæ, alteris manus, & brachia adiunguntur, cum quæ ad idem priorē, & summā agant partem,

quadrupeda, multipeda, & pedibus nudata uiuant. Siquidem nomine pedis appellato partem, qua in terrestribus animalibus nota exprimitur, quotiescumque per locum se mouent, uidetur enim pedes a pedo, hoc est solo nominati. Nec uero desunt quae partem tum priorem, tum posteriorem in idem omnino detorqueant, ut mollia, & quae ex testatis turbinis specie formata existunt, de quibus alio loco supradicimus. Sed cum loca tripartito distinguantur, in summum, infimum, & medium: bipeda summum ita obtinent, ut aeditae parti ipsius uniuersi respondeat, multipeda, & pedibus cassa media, stirpes infimae. Cuius quidem rei causam afferimus, quod stirpes ipsi terrae immutabilis hæsi affiguntur. At summa pars præ cibo est. Stirpibus est terra uictus petitur. Quadrupeda autem, & multipeda, & nullis pedibus subnisa ideo summum locum in medio tenent, quod celsa, atque erecta fabricatione priuentur. Bipeda cum summæ parti respondentem habent, quoniam erecta in sublime se attollunt, imprimisque homo qui secundum naturam celsus, ac erectus constituitur. Quare consentaneum est ab his ipsis partibus initia duci, praesertim cum initium nobilius sit. summum autem infimo, prius posteriori, dextrum sinistro nobilius habetur. Sed bene est permutato etiam ordine idem probare. Nam quia initia his partibus redduntur, idcirco haec oppositis nobiliora sunt, motionem a dextra oririjs quae tradidimus, planum fecimus.

SED quoniam necesse est cuiuscumque corporis continui, cuius altera pars mouetur & altera quiescit (id intelligo quod totum moueri potest, altera parte quiescente, quatenus utramque contrariis motibus impellitur) commune quiddam esse, quo illæ inter se ductu perpetuo committantur, atque eo loci principium statui motionis, & pariter quietis utriuscumque partis, constat, per quæcumque dicta repugnatiae genera, proprius utruncum aduersarum partium motus agitur, omnia haec unum commune habere principium, per quod partes, quas diximus connectantur. partes in qua dextras, & laevas, summas & infimas, priores & posteriores. Itaque in eo, quod sibi ipsi motu affert, nulla eiusmodi summæ, infimæque partis distincta descriptio est, tum quod motus naturalis a nullo retrouersum cieatur, tum etiam quod mobile nullo modo distinguitur in mutatione quae utroque uersum fiat. At dextræ & sinistræ, summæ & infimæ partis notatur distinctio. Quæcumque igitur animalia instrumentariis usæ partibus progressiuntur, partis prioris & posterioris discrimine illas discretas non habet, cum reliquæ ambæ signentur, & primū discrimen dextrum, & sinistrum separans non desideretur, propterea quod discrimen statim in binis necessario, in quaternis uero præcipue notatur. Cum igitur summum & infimum, dextrum & sinistrum in eadem, communisque origine inter se connectantur (eam designo, quæ princeps motionis est) oportet in singulis, quæ per locum a quo uis horum motum carent, prescripta quodam modo, & definita esse omnium propositorum motuum causam, idque interuallis ex principiis expositis, quæ in hisce partibus situ tum contrario, tum eodem disponantur. atque illa est, cui communè quoque principium mandatur, unde animali motus uel dextrosum, uel sinistrosum, & pariter uel sursum, uel deorsum agatur. item quodcumque similiter hoc retineat oportet, ut quodvis principium quod in partibus, quas commemoramus, inest. Cestum igitur motionem per locum aut solum, aut maxime ijs animalibus obiri, quæ uel binis, uel quaternis notis per locum moueantur, ut, cum id tale ferè sanguinem obtinetibus potissimum eueniatur, perspicuum sit nullum sanguine prædictum animal pluribus, quam quaternis notis posse motu citari. atque si tali notarum nondum taxat motu nauare suapte natura aptum est, illud necessario sanguine constare. Quæ etiam ipsis animalibus eueniunt, ea cōprobant quæ demonstrauimus. De sanguine enim præditis nullum in plures dissectum partes, ut ita loquar, protrahere uitæ potest, quod particeps esse nequeat motus per locum, quem iam ante exequebatur, cum

cum totius integritate cōtinuum, & minime diductum esset. Contrā de exanguis
 ac multipedū genere quædam habentur quæ præfecta singulis partibus diu uiuere
 possint, & non dissimilium ei motum agere, quem ante, quam id pateretur conficie-
 bant, ut quæ cētipedes uocātur, & reliquæ insecti generis animātes, etiam si prælon-
 gæ formētur, quippe cum harū omniū posterior etiā pars in idem, quod prior, gres-
 sum tentat, causa inde dicitur, cur disiectæ uiuāt, quod perinde quæcūq; illarū con-
 stituta est, ut res cōtinua, quæ multis ex animalibus coaluerit. Hoc autem quam ob-
 rem ita habeat, ex ijs, quæ paulo ante disputauimus, cōstat. Etenim quæ per naturā
 potissimum constituuntur, ad suos ipsorū motus ciendos binis, aut quaternis notis apta
 10 sunt, quod idem in ijs probatur, quæ ex sanguinē adeptis, pedibus carēt. Hæ enim
 quaternis impelluntur signis, per quæ motū cieāt, quia maxima ē parte flexuosum
 geminates impulsū procedunt, dextrū enim & læuum, prius & posterius in lati-
 tudine exprimitur, hoc est in utroq; flexuoso impulsū. In parte quidē capiti proxī-
 ma prior nota, dextrum & sinistrū declaratur: sed in parte quæ in caudā definit, po-
 steriores designātur notæ, attamen binis moueri signis uidentur parte tum priore,
 tum posteriore in reptionem sese distēdentes. Huiusc rei causam breuitas corpo-
 ris, quæ in hoc animalium genere perlatum consumitur, præbet, cum in illis plane,
 ut in quadrupedib; dextra dux motus sit, & per posteriora compensatio fiat. Lon-
 gitudo autē flexuosos illos impulsū facit, ut enim procerosi homines cernui, & ob-
 20 stipi incedūt, & dextro humero in priorē partem uergente, sinistra coxa in posterio-
 rem magis reclinat, & mediū tum cauatur, tum incuruatur: ita serpētes per summa
 telluris sese curuantes & flectentes, reptare intelligēdāe sunt. Atq; documento illo
 constat eas similiter moueri, ac quadrupeda, nam cauum, & deuexū uicissim trans-
 fertur, cum enim læua pars priorum dux sit, cauum ē cōtrario redditur, propterea
 quod dextrum introrsum denuò subit. atq; dextri prioris nota sit in A, sinistri in B,
 posterius sinistrum in C, dextrū in D. Ad hunc certe modū ex terrestrib; serpen-
 tes, ex aquatilib; anguillæ, congr, murenæ, & reliqua serpentis faciem referentia
 ludunt. Sed tamen in aquatilib; aliquot habēt, quæ nihil tale habeāt, quales pīn-
 nulæ sunt, ut murenæ, quippe quæ perinde in mari agitantur, ut serpentes in terra
 30 & mari, serpentes enim eodem natant modo, quo in sicco reptant. Neq; uero de-
 sunt quibus pīnnulæ duntaxat binæ applicentur, ut congris, ut anguillis, ut mugilis,
 qui in lacu Sipharum nascūtur: ob eamq; rem, quæ uitam in terra agere con-
 sueuerunt, ut anguillæ, minus flexuoso corporum impulsū in humore, atq; in ter-
 ra exæquant notas. Causa cur serpentes nullis pedibus innitantur, ea reddi potest,
 quod natura nihil frustra machinatur: imò uero in omnibus quæ fieri possint, sem-
 per ad optimum respiciat, & priuatū cuiuscū rei statum, & id ipsum, quod in omni-
 bus quid res sit dicunt, conseruet. Accedit, quod antē etiā proposuimus, de ani-
 malibus ijs, quæ sanguine fouentur, nullum pluribus, quam quaternis signis posse
 motum nauare. Per hæc igitur planum factum est, nullum inter ea sanguine prædi-
 ta, quæ per longitudinem ueri commensus experta sunt præ alia corporis natura,
 ut serpentes, pedibus augeri posse. hæc enim plures, quam quaternos pedes habe-
 re non queunt. Sin minus, sanguinis expertes forent. Quod si binos, aut quaternos
 fulto subditos haberēt, omnino ferē immobilia iacerent, adeò necesse esset motum
 illorum tardum, & ad nulla uitæ cōmoda aptum esse. Omnia quæ pedibus augen-
 tur, illos ipsos pares necessariò tenēt, quæ enim per saltum sese per locū mouēt, nul-
 lum pedum ministeriū ad eiusmodi motionem desiderant. At quæ saltu utuntur,
 & gressus insuper indigent, cum illis saltus satis non sit, certum est alteris eorū me-
 lius esse, alteris facultatem omnē eripi ingrediēdi. Quam ob rem cuiuscū animali ne-
 cessere est paribus instrui pedibus, cum enim talis motus per partes, non in summa

toto corpore fiat, qualis saltus est, alteris quidē partibus necesse est quiescere per agitationē pedum, alteris uero impelli, & oppositis illarū utruncq; præstari, cum à mobili parte ad quiescentē traducitur pondus, idcirco nullum aut ex trium pedum usu, aut ex unius tantummodo ingredi potest. hoc enim nullo fulcitur firmamēto, quo corporis pondus sustineatur, illud autem labore aggrauatur per alterū oppositū firmamentū. quapropter necesse est id ipsum collabi, cum uires ad motum sic agendū intenderit. Pluribus uero pedibus constantia, ut centipedes, possunt uel imparibus pedibus ingressum corporis sustinere, ut nunc etiam uidentur, si pedum detrimen-
to illæ afficiantur, propterea quod mutilatio pedum cōtraria serie annexorum, reliquæ frequentiæ pedum, qui utrinq; protenduntur, quasi medetur. & eo quidē magis, quod alijs non gressus, sed quasi tractus partis decurtatae fit. Attamē nemini du-
bium, quin hæ etiam ipsæ commodius se mouerent, si paribus corroborarentur pe-
dibus, nulliusq; defectum perpetuerentur, quam si pedibus cōtraria serie sibi respon-
dentibus sustineretur. ita enim possent cum eorum pondere magis adæquare, nec
tanquam lance æqua in alteram partem magis præponderare, si firmamentis con-
traria serie sibi respondentibus fulcirentur, & alteram sedem à pedibus è diuerso
subditis uacuam non haberent. id autem quod ingreditur uicissim ab utraque par-
te procedit; nam ita in pristinum situm fit restitutio.

E X P O S V I animatibus omnibus pedes pares subdi: atq; etiā causa, cur ita sie-
ret, explicata est. Verū ex ijs quæ edisseremus patebit, neq; flexionē, neq; natatū,
neq; directionē ullam agi posse, nisi quid ociosum iaceat. nam flexio nihil aliud est,
quam mutatio, quæ ex directo uel in orbē, uel in angulum agatur. directio, quæ ex
alterutro eorū in directū procurrat. At necesse est in omni eiusmodi mutationū ge-
nere flexionem, aut directionē ad unum procumbere signum: & eo quidē magis,
quod nisi nodus flecteretur, nec gressus, nec uolatus, nec natatus fieri posset. cum
enī pedibus aucta utroq; obuersorū crurum ordine uicissim & consistant, & pon-
dus gestent, necesse habent altero progrediēte alterius nodum flectere, propterea
quod superiora, & inferiora corporis mēbra cōtrario ordine formata magnitudini
paria respondent. atq; etiā subdita ponderi pars tanquam perpēdiculum ad terram
demissum erecta cōsistere debet: quādoquidē in progressionē diuariatur, & exten-
ditur, & tum magnitudinē ociosam, tum id, quod mediū interiectū est, ferre potest.
Sed cum superiora, & inferiora mēbra æqualia sint, necesse est ociosam partem no-
dum flectere, uel in genu, uel in parte, quæ unā flectatur, ut si de animalibus quæ
ambulant, aliquod genu careat. Ex eo nimirū documentū capit, rem ita se habe-
re. etenim si quis per terrā ambulans ad parietē adhærescat, profecto linea, quæ de-
signatur, non recta, sed obtorta erit, quia partis flectentis linea breuior euadit, cum
quæ consistit, & effertur, porrectior ducatur. Verū tamen accidit motum præstari,
etiamsi nullus cruris inflexus agatur, quemadmodum pusiones serpere uidemus.
Quinetiā elephati ita se mouere diuturna hominū fama celebratur, quæ tamē falso
cōfirmata est, cum id genus animalium inflexu uel in scotulis opertis, uel in cluni-
bus adducto sese moueat. At nullū erectū, & stans cōtinenter, & tutò incedere po-
test, quia perinde se mouebit, ut palæstritæ, qui per puluerem in genua subsidentes
procurrunt. Magna enim pars superne aggrauat. ideo par est maiora adhiberi cru-
ra. quod si hæc dentur, nodus etiam infleciatur necesse erit. Sed cum erectum consi-
stat, si pars, quæ prorsum mobilis est, rigida sit, uel cōstitutum extra perpēdiculum
cōcidet, uel non progredietur. si enim altero crure erecto, alterum progreditur, ma-
ius erit cum æquale omnino sit: quandoquidem hoc ipsum tum crus quiescēs, tum
nodum, qui subintendit, gestare poterit. Ergo per id tempus, cum alter pedum
progreditur, necesse est quiescentem infleci. & simul quia hic inflectat, necesse est
alterum

alterum extendi, superiora enim & inferiora corporis membra æquis lateribus tris
quetram efficiunt figuram: & caput in infimum magis deprimitur, cum perpendicu-
lum eum attigerit locum, cuius est basis. De pedibus uacuis alia quasi undantia, siue
fluctuantia procedunt: idq; dupliciter accidit, quædam enim flexuosis impulsibus
per terram obreptant, ut serpentes, quædam ulro progressum moluntur, ut erucæ.
Fluctuatio porro ipsa flexuosa est impulsus. Alia uolutationibus utuntur, ut quæ
terræ intestina uocantur, & hirudines. Siquidem haec præcedente parte progrediun-
tur, & reliquum corporis ad eandem ipsam cōducunt, atq; ita certis abiuncta sedibus
uagantur. Ex his perspicue intelligi licet animalia fluctuantia nullo modo posse mo-
tu exerceere, nisi flexuoso impulsus, idemq; duplex simplici maior sit. per impul-
sum enim illum flexuoso eundem que extentum nunquam progrederentur, si
æqualis esset. At ut nos statuimus, extensus omnino superat, & parte ociosa reli-
quum animalis conducitur. Sed tamen in quocunq; superiorum mutationū gene-
re id quod mouetur, nunc extentum recta progreditur, nunc unā inflexum cum
præcedentibus partibus dirigitur: cum subsequentibus autem unā inflectitur. Sa-
lientia omnia in terra flectuntur, quo etiam modo quæ uolant, & quæ natant, fa-
liunt, altera enim per productas & contractas alas uolant, altera per pinnulas agita-
tas natant: quorum alijs quaternæ, alijs binæ ingenerantur, ut longiore corporis ha-
bitu formati: quales anguillæ sunt, quia motum qui superest, loco binarum pinnu-
larum reliquo corporis impulsu, eodemq; flexuoso, ut præcepimus, conficiunt. Pi-
scium de genere planorum, alijs loco binarum pinnularum ampla corporis latitudi-
ne utuntur, alijs binis pinnulis id præstant, cum qui plani omnino sunt, ut raia, ipsis
pinnulis, & extremis corporis rotundationibus sese dirigentes & flectentes natent.
Sed in dubium fortasse, & contentionem uenire poterit, quonam modo aues qua-
ternis sese moueant notis, utrum uolantes an ambulantes: præsertim cum expo-
suerimus quæ sanguen obtinent, omnia quaternis moueri signis. At hoc dictum
non est, imo non pluribus eadem moueri affirmauimus. Quinetiam si illarum cru-
ra utraq; de coxa truncantur, nullo pacto uolare poterunt. nec contraria, si aliae ex sco-
ptulis opertis eximantur, facultatem ambulandi ullam habere poterunt, cum ne-
homo quidem incedere possit, nisi humeroru motus adiuuet. per inflexionem au-
tem & intentionem omnia mouentur, ut docuimus. Nam in rem aliquandiu sub-
iectam, & quasi sensim cedentem progrediuntur. Quapropter, nisi beneficio alte-
rius partis flexura adducatur, quam unde primum ortus profluat, integrâ pinnam
habentibus pinnæ, aliis alas, cæteris, ut piscibus, pars necessaria est, quæ propor-
tionem cum superiorum animalium partibus tueatur. in quibusdam tamen, ut in
serpentibus, principium flexuræ signatur ex spiris, & corporis inuolucris. Uropy-
gium perinde uolucribus ad dirigendos uolatus affigitur, ut nauigij gubernacu-
la: atq; etiam illud, qua parte cum cute coalescit, flectant necesse est. & ob eam rem
quæ pinnam integrum, aut discretam habent, uropygium ad eiusmodi usum ine-
ptum habet, ut pauones, ut gallinacei. & omnino quæ uolacia non sunt, directum
cursum confidere nequeunt. Siquidem integrum habentia pinnam, ut rem sim-
plici ratione complectari, uropygio carent: quod idem causæ est, quare tanquam
nauigium temone priuatum, agitentur, & quocunque fors tulerit, allidant & im-
pingant. Idem quoque sentiendum est de ijs quæ pinna in uaginam inclusa ins-
truuntur, ut de scarabeis, de gallerucis, & de ijs, quæ alis nudis, & nulla omnino
crusta munitis prædicta sunt, ut de apibus, de uespis. Atqui nonnulla etiam ad uo-
latum minus propensa uropygium suis commodis parum aptum receperunt, ut
porphyrones, ut fulicæ, uel potius ardeolæ, ut ad nandum aptæ aues. imo uero
hæ loco uropygij pedes pretendendo uolant, & ad uolatum dirigendum crurum

utuntur ministerio. Volatus earum, quibus integræ alæ explicitantur, deses, & imbecillis est: quia alarum naturam ex proportione ad grauitatem corporis non habent, immo corpus plenius est, & alæ paruae, ac imbecilles adiunguntur, & non aliter haueolatu utuntur, quam si nauim onerariam remis agere coneris, atq; etiam alarum imbecillitas, & ea quidem à primo naturæ ortu contracta, non nihil ad eiusmodi tarditatem probandam pertinet. inter aues pauoni uropygium aliquando propter magnitudinem nulli usui est: aliquando nihil opis utilitatisq; affert, quoniam deciduum est. & aues quidem pinnarum naturam aduersam habent, ijs, quibus integræ adhibentur alæ, imprimisq; eæ, quæ celeri uolatu uitam agunt, quales uncungues, his enim ipsis uolatus pernitas ad uitæ officia præsidio est. Membra item corporis reliqua proprie illarum motioni conformantur: caput enim paruum omnibus impositum, collum non admodum succi plenum, crassumq; subest, pectus tum ualidum, tum acutum propendet, acutum, ut contentius uiam sibi parare possit, quasi rostrata nauigij prora, quod speciem lembi præbeat, ualidum, ob circumnascentis carnis copiam, ut aërem occursantem ac incidentem queat propulsare, idq; facile, nec uiribus fatigatis, quæ à tergo partes adiunguntur, leues sunt, in arctumq; coëunt, ut melius eas subsequi possint, quæ à fronte prætenduntur. quippe cum liberiorem ex latitudine non trahant aërem. Hæc ita. Et planum quidem iam fecimus, animal, quod erectum ingressurum est, bipes necessariò esse, atq; etiam superiores corporis partes leuiores habere, & inferiores grauiores subdi, quia hoc duntaxat modo suam ipsius molem facile sustinere potest. Quapropter cum animalium omnium unus homo celsus, atq; erectus fingatur, crura superioribus partibus respondentia proportione maxima, & firmissima omnium quæ pedibus instent, habet. Hoc autem ipsum ea planè res declarat, quæ pusionibus eueniire solet, siquidē hi erecti indecere non queunt, propterea quod in pomilio habitum delabuntur omnes, & summas partes auctiores robustioresq; infirmis tenent, sed procedente artate ad infimas accessio adiungitur, donec ad iustum perueniant magnitudinem. atque tum in uestigio stare, & incessum erectum peragere queunt. Aues cum leues gignantur, bipedes sunt, quoniam pondus illis ex auero accubat, non aliter, ac equis, quos ex aere fingunt prioribus cruribus sursum uersus elatis. Illud potissimum causæ est, quam ob rem bipeda erigere se ac stare possint, quod clunem femori similem habent, & talem, tantumq; ut duo femora tenere uideātur: alterum in crure ab ipso inflexu productum, alterum ad hanc partem directa formatione à sede protetum. quod planè non femur, sed clunis est. & eo quidem magis, quod aues bipedi habitu non procrearentur, nisi tantus afformaretur. femur enim, & reliquum crus directum à coxa quæ admodum breuis est, produceretur, ut in hominibus sit, & quadrupedibus. propterea illarum corpus ualde prominēs pateret. At cum porrectior ducatur, usq; ad medium uetrem ita pertinet, ut crura eo modo suffulta molem totius corporis gestare possint. Ex his compertum est, nulla ratione cōtingere posse, ut aues perinde ac homines erectæ sint. obtegentium enim pinnarum congeries utilis est ijs, quæ corpus eo modo coagmēatum habet, quo nunc spectatur. Quod si erectum attolleretur, inutilis omnino esset: quales Cupidinū imagines uidemus, quas aligeras pingunt. & simul superiore ex disputatione patet, nec hominem nec si quid aliud tali sit habitu, pinnigerum esse posse: non solum quod sanguinem habens pluribus notis, quam quaternis se moueret, uerum etiam quia talis pinnarum congeries iisdem ipsis nulli usui foret, cum per naturam se mouerent. At natura nihil præter suam ipsius normam fingit, & molitur.

N V L L V M animal quod sanguine cōstat, & pedibus innititur, progredi posse, nisi nodus aut in cruribus, aut in scoptulis opertis, & in clunibus inflectatur, ante proba

te probatum est. atque etiam liquet nodum minime inflecti, nisi quid interquiescat: & homines, auesq; tametsi bipedes formantur, tamen cōtrarium agere inflexum. Item quadrupeda tum sibijsis, tum homini contraria in cruribus flectendis esse. ho-
 minum enim brachia cauantur, poplites incuruātur. Quadrupeda, quæ tamen u-
 iupara sint, genua in curuum, suffragines in cauum contrahunt. atq; idipsum aues
 etiam præstāt. Causa ea reddi potest, quod natura nihil frustra machinatur, quem-
 admodum suprà demonstrauimus, sed semper in ihs, quæ fieri possint, ad id respicit,
 quod potius sit, & melius. Cum igitur omnium, quibus mutatio per locum natu-
 ra efficitur, crus consistens pondus gerat, cumq; in aduersum motus obeatur, cons-
 10 uenit præcedentem pedem situ perleuem esse: & cum gressus cōtinue intendatur,
 in eo iterum pōdus medium teneri, constat necessum esse, quia crus inflectitur, de
 integrō ipsum rectum explicari, idq; progresso pede quiescente. Et certe accidit ut
 altera pars quiescat, & altera progrediatur, & simul animal procedendi facultatem
 habet per crus nimirum præcedens, quod ante se inflexum agat, cum retrorsum
 minime agi possit. ita enim crus extendetur projecto corpore, altero autem modo
 retracto. Iam uero si retrorsum nodus inflectatur, situs pedis per duas motiones,
 easdemq; cōtrarias reddetur, altera antè, altera retro facta. siquidē necesse est quo-
 ties cruris flexio adiuuatur, toties extremā femoris partem retro produci, & tibiam
 à nodo deductam pedem in aduersum promouere. Quod si nodus in aduersum
 20 inflectatur, ingressus quem proposuimus fiet, motionibus tamen non ita contra-
 rijs, ut una in aduersum agatur. Itaque homo cum bipes sit, cumq; secundum natu-
 ram ipsis cruribus per locum moueatur ob eam, quam explicauimus, causam, po-
 plites in aduersum, brachia in cauum contrahit. Nec reclamat ratio, si enim contrà
 adducerentur, inutilia partim ad utriusque manus usum, partim ad cibum capien-
 dum pederent. Sed uiuipari generis quadrupeda, cum priora crura sui gressus præ-
 cedentia habeant, cumq; eadem uicissim prioris corporis parte transferantur, ne-
 cessē habēt illa in ambitum eadem ipsa causa agere, qua homines, in hoc enim con-
 ueniunt. Proinde quadrupeda illo etiam quo supra exposuimus modo, in aduers-
 sum inflectunt: quandoquidem nodo ita inflexo, pedes quasi ad libramentum diu-
 30 suspendere queunt. Quod si aliter infleterent, breui sanè tempore eos è terra su-
 spensos haberent, quia totum femur, & nodus, à quo tibia dicitur, cum progres-
 sus fieret, ad uentrem contraheretur. Ac posteriorum quidem crurum suspen-
 sio si pedes in aduersum infleterentur, æque fieret, ac priorum: breuisq; illa foret
 elatio, idq; per ipsorum crurum defatigationem, cum utriusque cruris tibia & no-
 dus ad unum, eundemq; uentris locum procumberet. At si in auersum flectan-
 tur, quemadmodum nunc fieri uidemus, nullo impedimentoo in gressu, qui eiusmo-
 di motu conficitur, distinebitur. Huc accedit, quod uel necessarium uel melius est
 crura sic inflecti ihs, quæ ex illorum genere mammas nouis foetibus præbent, & id
 genus munera exequuntur. curuatis enim introrsum cruribus, magnū negocium
 40 sibi exhiberi sentirent, cum sobolem quæ subruinatur, fouverent. At uero quatuor
 pares inflectendi modi constituūt. siquidem necesse est genua, & suffragines uel
 in cauum contrahi, ut in quibus A A, uel in cōtrarium, hoc est in curuū, ut in quibus
 B B, uel ordine permutato, nec ad eadem ipsa, sed genua in curuum c. suffragines in
 cauum, ut in quibus c, uel contrà, hoc est, ut curua mutuò se respiciant, & caua ex-
 tra propellantur, qualia sunt in quibus D. Itaq; nullum animal quod aut bipes, aut
 quadrupes sit, in ea flectit, in quibus A aut B inest: cum in C quadrupeda curuent,
 & inter quadrupeda nullum, excepto elephante, in D adducat. Homo brachia, &
 crura habet, atq; illa in cauum, hæc in curuum contrahit. Omnino semper lacerti,
 & crura in hominibus contrarios uicissim inflexus agunt, gibber enim cauatur,

brachiale incuruatur, atque iterum humerus in curuum conducitur. Nec secus sit in cruribus. femur enim cauatur, genu incuruascit, cum pes ē diuerso in cauum nigratur. Inferiora etiam contrā, quām superiora se mouent, quoniam origo ē contraria se habet. Nam humerus curuatur, femur cauatur, gibber etiam in cauum, genu in curuum, pes cōtrā in cauum deflectitur. Ratio inflexus crurum talis est, & quidem ob eas causas, quas iam reddidimus.

POSTERIORA quidem crura cum prioribus in motu per transuersum sentiunt. Nam post dextrum prioris partis latus sinistrum posterioris impellitur, mox sinistrum prioris, motus dextri posterioris excipit. Ac huiuscē quidem rei causam ponimus, quod si posteriora simul & priora mouerentur, ingressus ipse distractio heretur & præceps esset: non aliter, atque si à posterioribus connexa traherentur. Præterea non ingressus, sed saltus id tale habendum esset, arduum porro, & difficile est saltu continentem agere motum. Argumēto quidem sunt equi ita se mouentes, qui citò lassescunt & fatigationem sentiunt. eos intelligo, quos pompæ gratia sessores sustinere solent, nec progrederi sinere, itaque sine prioribus & posterioribus cruribus, ob ea, quæ exposuimus, nullum præstant motum. Quod si utrisq; dextris primum ille præstaretur, nimirum firmamenta nulla subderentur, ipsaq; animalia collaborarentur. Ergo si necesse est uel horum modorum utrouis, uel per transuersum motionem agi, & neutro superiorum modorum fiat, per transuersum motio agatur, necesse est. Nam ut scripsimus, cum ita moueantur, neque sine firmamentis esse, neque collabi possunt. Quapropter equi & alia eiusdem generis animalia per transuersum progressa consistunt: nec dextris, aut sinistris utrisque cruribus simul sustentantur. Eodemq; modo gradiuntur quæ plures, quām quaternos tenent pedes. nam semper in quaternis proximis, posteriora per transuersum ad priora arripiuntur. Declarant hoc, quæ lento gradu motum cident, ut cancri, hi enim ita se mouent: quia de eorum genere sunt, quæ multis fulciantur pedibus. Siquidē per transuersum semper eō se mouent, quō gressum dirigunt suum. quod etiam animalium genus præter cætera proprium & sui generis motum agit: quādoquidem omnium unum in priorem non mouetur partem, sed in latus. Cum autem prior pars in oculis distincta esset, natura oculis ita affixit, ut cruscula sequerentur. in priorem enim partem illorum motus tendit. ob eamq; rem cancri etiam quodam modo in priorem partem sese uidentur mouere.

A V E S R I T V quadrupedum inflexus crurum agunt. natura enim illarum quodam modo quadrupedum similis est, propterea quod alæ priorum crurum loco annexūt, ideo perinde illas inflectunt, ut quadrupeda genera. Iam uero cum in ambulādo ijsdem ipsis naturalis motus origo ab alis trahatur, uolatus enim proprius auium est motus, ideo si ipsæ eadem alæ eximātur, nullum auium genus nec consistere, nec procedere poterit. Præterea cum bipedes quidem singāt, sed non erectæ, cumq; priores corporis partes exutas, leuesq; teneant, uel ad necessitatem, uel ad commodioris uitæ rationem pertinet illas, quo stare possint, femur ita subditum habere: tale inquam, ut in posteriorem deflectatur partem. Enim uero si oportebat rem hoc modo habere, necessitas etiam cogebat auium suffragines in cauum trudi. quo etiam modo quadrupedum suffragines adducuntur, & quidem ob eandem ipsam causam quam probauimus in motu eorum quadrupedum, quæ ex animalis procreatione partum formant suum. Omnino aues, & de uolucribus integrum pinnam adepta, & in humore natantia, & quæcunque ijsdem instrumentis, quibus superiora, prædicta in humore se mouent, facile declarant cōmodis suis mensibus consuli, si quas diximus partes à latere annexas habeant, quales nunc habere spectantur. In auibus, & integrâ pinna instructis, ita res habet, quæ eadem in piscibus

bus quoq; ostenditur. siquidem aibus alae, aquatilibus pinnulae: integrum pinnam
habentibus membranulae siccæ à latere adhærent, quandoquidem ita eorum alia
firmissime, & celerrime aërem, alia humorem distrahentia se mouere poterunt.
eoq; etiam magis, quod corporis partem in auersum, & in aduersum inclinantes,
rem lubricam & cedentem sequentur, cum alia in humore, alia in aëre se impel-
lent. At uero ex cauernas subeuntibus quadrupeda, eademq; ouipara, ut crocodi-
li, lacertæ, stelliones, mures aquatiles, & reliqua testudinum genera, omnia à latere
crura adiuncta & summam terram obradentia habent, eademq; in obliquum de-
torquent, quoniam ita formata usui sunt ad commodius subeundum, & ad ouo-
rum incubatum, atque custodiā peragendam. Cum igitur extrorsum pateant,
necesse est ut femoribus contrahendis, & sub se condendis toto corpore in sublime
se efferant. quod quidem corpus cum ita se moueat, fieri non potest, ut crura ali-
ter inflectantur, quam extrorsum. Et iam quidem ante probauimus genus exan-
gue animalium eorum, quæ pedibus corroborantur, multipes esse, nec ullum qua-
drupes haberi. ideo necessitas præscribit, ut cruscula omnia præterquam extrema à
latere affigantur, & simul constat eadem ipsa tum sursum uersum flecti, tum sub-
torta retro uergere. siquidem media horum omniū cruscula & præcedant, & subse-
quantur necesse est. Quod si in illis ipsis hoc seruatur, oportet in priorem & poste-
riorem partem inflexum agi. in priorem inquam partem, quia præcedunt: in poste-
riorem, quia subsequuntur. Et quoniam necesse est utrumque accidere, propterea
uergunt, & in latus flectunt, exceptis tamen ultimis, quippe quæ ut magis apta
sunt, inflectantur, alia quidem ut subsequentia, sed alia ut præcedentia. Item pro-
pter cruscula, quæ frequentiora sunt, hoc etiam modo inflectunt. Siquidē in gressu
minus ita sibi impedimento sunt, minusq; offendunt. Natura uergendi his ipsis at-
tribuitur, quod uel omnia, uel plurima cauernas subeant. hoc enim modo agentia
efferre se non queunt. Cancri multipedum omnium maxime sui generis natura
constant, nec aliter in priorem partem gressum tentant, atq; paulò ante docuimus.
soli etiam multis pedibus, qui præcedant fulciuntur. quod efficit partim obducta du-
rities, partim ratio utèdi, quæ quidem non ad natatum, sed ad ipsum planè gressum
adaptatur. dum enim uiuunt, terra sustinentur. Flexus igitur cunctoruū multipedū
æque in latus deflectuntur, ac quadrupedum in latibula se recipientum. Talia en-
merantur lacertæ, crocodili, stelliones, & cætera quadrupeda, quæ oua ædunt. Hu-
iusce quidem rei causa hinc oritur, quod alia in prole duntaxat suscipienda abdita
umbracula ingrediuntur, alia toto uitæ cursu. Artus cæterorum propter mollitudi-
nem in latus obliquantur. Locustæ cum generi crustato annumerentur, pedibus
non gressus, sed natatus causa subnituntur. Cancrorum autem inflexus in latus
detorquetur. Cruscula etiam cute, uel potius crusta aspera, & in morem silicis præ-
dura obducta causæ sunt, cur non uergant, ut ouipara quadrupeda, & sanguine
cassa, & multipeda: cum neque nandi studiosi sint, neque in cauernulis se condant.
40 in terra enim uiuunt, & facie rotunda formantur, & uropygio carent, quo tamen
locustæ præditæ sunt, quādoquidem ad natatum usui est. illi autem à natatione ab-
horrent. Quinetiam soli omnium latus parti posteræ simile habent, quoniam fre-
quentibus pedibus, ijsdemq; ducibus regantur. Cuius rei causa est, quod nec ante
se flectant, nec uergant. uergendi causa paulò ante exposita est, quæ sane ad cru-
sta duritiem, solidamq; naturam refertur. quapropter omnes præcedat, & in latus
deflectantur necessum est. in latus inquam, quoniam inflexus in latus curuatur.
Quod si omnibus pedibus id præstaretur, quiescentes motum nauantibus impe-
dimento forent.

P I S C E S qui passeris siue rhombi effigiem repræsentant, eo modo natant,

D d

quo coelites, alteroq; oculo capti incedunt, quia natura illorum transuersa, distorta q; est. Aues pa. mpedes remigatione pedum natant. & bipedes gignuntur, propterea quod extrinsecus aërem arripiunt, & spirant: palmipedes, quoniam uitam in humore, fluidisq; locis degunt. cum enim tales subnectantur, loco pinnularum utiles sunt. Crustulis item subnituntur, non parti quidem mediæ subditis, ut reliquæ aues, sed magis ad posteriore partem adhærentibus, cum enim breuibus illæ sint præditæ cruribus, eadem ipsa posteriori adiuncta parti ad natatum accommodant. Cruribus autem breuibus sunt, quia natura quod longitudini crurū dempsit, id totum ad pedes addidit, & pro longitudine cruribus crassitudinem, pedibus latitudinem tribuit, quandoquidem inter natādum crassi, & habitiores magis usui sunt, quam longi ad propulsandum humorem. At enim ab ratione non abhorret, ut uolucria pedes habeant, pisces careant, alteris enim uita in sicco agitur, cum fieri non possit, ut semper sublimes ferantur: ob eamq; rem pedes habeant, necesse est, alteris uero in humore uita est, & aquam non aërem exceptant. itaque pinnulæ ad nandum utiles sunt, pedes inutiles. Quod si pinnulis & pedibus instruerentur, in numero eorum reponerentur, quæ sanguine defecta rigerent. Aues quodammodo similiter atq; pisces se habent. illis alæ duæ superne dependent, his pinnulæ duæ parte prona. illis pedes resupinæ parti subduntur, his pinnulæ adhærent resupina etiam parte, & iuxta pronam maxima ex parte. illæ uropygij gubernaculo reguntur, hi caudæ. De ijs autem animalibus, quibus silicea testa præsidio est, controuera res est, plenaq; dissensionis, ecquis illorum sit motus, & si careant parte dextra, & sinistra, unde moueantur: & eo quidem magis, quod uidentur moueri. An uniuersum hoc genus, ut mancum, & deprauatum statuere debemus, & æque motum illorum effici, ac si ea cruribus mutilaueris, quæ pedes habet, ut uitulum marinum, & uespertilionē. hæc enim peruerse quadrupeda sunt. At quæ eiusmodi testæ munimento defenduntur, quanquam se moueant, præter naturam tamen id præstat. si quidem illorū motus uagus, & solitus non est. Quod si ut fixa, & ad terram adhærentia specientur, sede uaga sunt: si gressu utentia, fixa, & stativa haberentur. Ad cancros etiam dextra pars uitiose adiungitur, cum omnino adiungatur: forniculus denticulatus indicio est, qui dexter magnitudine, & ui acrior propendet, quippe cum dextra pars à sinistra distingui exigat. Partes animaliū cum aliæ, tum quæ ad gressum, & ad omnem per locum motionem aptantur, sic se habent. quæ omnia cum præscripta iam explicataq; sint, proximum est, ut ad disputandum de anima aggrediamur.

LIBRI DE COMMUNI ANIMALIVM
GRESSV FINIS.